

## Tempore

purpura. Erat enim paupercula dei genitrix maria: unde habere non poterat pannos preciosos. Qui igitur gemunt sub onere paupertatis respiciunt pannosum ihesum ut consolentur: unde dicit *Ysa. 29* *Modum in domino letitiam et pauperes homines in sancto israel. in christo exultabunt: dicit etiam Seneca de paupertate. Paupertas expedita est secunda: et compatitur inter se pauperum et diuitum vultus sepius pauper et fidelius ridet. Signum etiam preciose puritatis siue mundicie in ihesu nobis ostenditur per hoc quod dicitur. Maria panem eum inuoluit. Inuoluit enim eum intemerata virgo pannis mundis quia non est verisimile quod tam munda virgo pannos habuit maculosos propter quod instituit spiritus sanctus quod pannus ille in quo adhuc sacramentaliter inuoluitur corpus ihesu non debet esse purpureus sed lineus et mundus. Inuitat igitur nos ad vite mundiciam mundissimum iste infantulus. unde dicitur in *Job. 22*. Saluabitur innocens. saluabitur autem mundicia manuum suarum. et operum suorum: dicit enim *Pro. 20. 21*. Qui mundus est rectum est opus eius. Quarto signum gratiose humilitatis ostendit nobis in ihesu paruulo qui intus se humiliavit quod se subiecit se manibus virginis ut ipsa eum inuolueret et reponeret ubi placeret. Simus ergo et nos ad imitationem ihesu humiles ac obediens: quia dominus permittit humilibus quod habitabit in illis per gratiam et viuificabit eos per gloriam: unde dicitur *Ysa. 57*. Exaltus et sublimis habitat cum contrito et humili spiritu et viuificat cor contritorum. Quinto signum caritatis egregie demonstrat nobis in isto infantulo qui reponi voluit in presepio quasi per hoc innueret se communem esse animalibus pastoribus et regibus et omnibus eum habere cupientibus. unde dicitur *Ysa. 40*. In caritate perpetua dilexi te ideo attraxi te miserans tui. Jacet igitur ihesus in presepio quasi quidam adamas trahens ad se per caritatem iumenta pastores et reges. Unde etiam iumenta pastores et reges caritatis ei vice reciproca rependerunt. Iumenta quippe fenum suum paruulo commodauerunt. pastores deuotas laudes ipsi acceperunt. et reges preciosa munera obtulerunt. Imitemur et nos illa bona iumenta ut seque fenum verum bonarum nostrarum deo nostro mutuemus. et ut elemosinas nostras pauperibus erogemus: Imitemur etiam pastores ut deum deuotis laudibus ac orationibus honoremus. Imitemur nihilominus reges ut saluatori nostro cor nostrum et omne opus nostrum quasi munera preciosa offeramus humiliter. Rogate dominum carissimi ut sic natiuitatem eius celebremus in terris ut etiam ipsum a facie ad faciem letanter videre mereamur in celis. Ad nobis et*

**Item in natiuitate Christi. Sermo vi.**

Verbum caro factum est et habitabit in nobis et *Yoh. 1*.  
Magister in compendio theologicæ veritatis libro. 4. sic inquit.